

Judic. 6. &c. In summa ora pag. ult. legitur Hilprandus, fortassis autor, mihi ignotus; inferne vero Carthusiani Aypacenses Fundatoribus suis Domino Haidenrico de Meyssaw ac Dominae Anne de Chunring conthorali sue requiem aeternam precantur.

O lyben chynder der krystenbeyt!
 Hebt an myt grofer trawrikeyt,
 Vnd zecht, wy zych dy steyn czu clyben han,
 Der toten greber zyn auf getan
 Vor grofer marter bytterkeyt,
 Dy meyn kynd bewt umb euch an ym treyt.
 Vergyft dy czer an vnderlas,
 Habt des clagen cheyne mas,
 Merkt, wer er zey, der gekreuczigt ist.
 Er ist meyn zun herr ibesu kryst.
 O ich gedenk, wy gar mit grosfer wunne
 Etwen zach ich yn dy clare zunne,
 Da ich meyn lybes chynd am arme trug;
 Da hatt ich der freuden vber gnuk.
 Ach wy hatt zych layder nu verchert
 Meyn zuser mut yn eyn scharfes schwert &c.

Librarium literis y et z singulariter additum fuisse oportet.

CCCCIV.

R. 2001 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 241. f. maj. per duas columnas caractere crasso, luculento exaratus, coloribus illustratus, olimque *Domus orti beate marie prope pragam Ordinis Carthusiensis* sequentia continet: I. *Incipit Liber ysidori. De figuris ueteris testamenti.* Prologus incipit: *Uenerabili et sancte sorori florentie ysidorus. Quedam myste-*

Ad compingendum Codicem adhibitae sunt improbe conscissae laciniae Planctus Deiparae in morte Filii rhythmis theoticis adornati, cujus initium adscribo:

ria que diuersis temporibus in ueteris testamenti libris prenunciata sunt &c. Sequitur Capp. Elenchus, quorum censentur LV. cum in Edit. Paris. 1601. f. p. 543. ad LXI. ascendant, cujus ratio est mira Exemplarium differentia, de qua jam Vol. I. P. 1. col. 962. et 967. et iterum hoc praesenti Vol. dixi. Integra enim Loca, quae in quibusdam praesto sunt, desiderantur in aliis, ut nihil de lectionis varietate dicam, cujus in hoc Codice specimen fit L. I. Epilogus:

In Codice
Ecce christum iudicem et regem, dominumque et deum esse ueteris testamenti auctoritate prophetarumque testimoniis comprobauimus. Tenent ista omnia libri inimicorum, legunt quidem sed non intelligunt, quia omnia signata sunt &c.

Liber II. Capp. XXVI. numero conuenit. In Praefatiuncula Codex melius: *quantae prophetarum voces adjectionem — cecinerunt*, quam Edita: *quanta — in abjectione*; sed in *Recapitulatione Operis*, quam Codex *Reprobacionem Iudeorum* inscribit, hic in verba: *in nouam fidei gratiam ambulamus*, definit, et non quidem illam Particulam de *Formulis spiritualis intelligentiae*, sed ejus loco adscriptas habet Quaestiones duas, unam de potestate *Balaam* maledicendi Populo Dei, alteram, cur in *Genesi* ad Opus secundae Diei non sit additum: *et vidit Deus, quod esset bonum*; item Observationem de *Modo*, quo *Daemones* in homines intrent. Unde haec deprompta sint, quaerere non videtur operae pretium. Monebo potius; *Isidori Scripta* tam diuersis Titulis ferri, ut facile quem in errorem inducere possint.

II. fol. 26. p. 2: *Incipit Liber Bacharij Episcopi de penitentia. Dixi de hac Epistola et ejus Autore debentia dici Vol. I. P. 1. col. 253. In Exemplo praesenti post verba: Unde ergo ad te paululum, cuius causa haec diximus, uerba uertamus, quibus Bacharius ab Ja-*

In Editione cit.
Ecce noui Testamenti iudicem et regem de prophetis, ecce Christum ex lege omnium dominum tenent. Ista omnia in libris Hebraeorum legunt Iudaei et non intelligunt, quia omnia signata sunt &c.

nuario ad ipsum Monachum lapsum transit, noua Rubrica interstinguit: Epistola ejusdem consolatoria. Textus ipse ad Edita Biblioth. PP. Lugd. T. VI. p. 1174. expensus imperfectior est. Ita mox sub principium pro obturato linguae sibilo habet fistulo, et in templo suo diabolicus dedit exercitus pro in triumpho suo; quaedam tamen sunt, quae Editis saltem aequipares. Ita in fine bene post interuenire meraris additur: ad dominum nostrum Ihesum christum.

III. fol. 35. p. 2. *Incipit prologus in Librum allegoariarum ueteris testamenti.* Haec initio; in margine uero manu coaeva corrente: *Ysidorus.* Item fol. 99. *Incipit prologus ysidori in librum allegoariarum noui testamenti, et ad calcem totius tractationis fol. 129. Explicit liber allegoariarum ysidori super euangelia.* Scripsisse *Isidorum* commentarios tam *literales* quam *allegoricos* in Biblia, certum est. *Allegorici* in quosdam Libros extant Edit. *suprac.* p. 413. et a me non semel relati sunt, atque in horum cum Praefatione, tum initio de *Literalibus* ipsemet testatur: *Quia jam pridem juxta literam a nobis sermo totus contextus est, et: Creatura*

tura coeli et terrae quomodo historialiter ab exordio principii condita sit, legimus &c. At vero Literales hos nemo haecenus produxit, nemo etiam Allegoricos in *Esther*, *Tobiam* et *Judith*, quos intercidisse putavit *Fabricius*, latere suspicatus est *Oudinus*, adnotavit *Tribemius*. Et en posteriores hos, en etiam, quos praeter *Tribemium* nemo memorat, *Commentarios Allegoricos in Evangelia*. Sed nempe in quali comitatu? Non eorum *Commentariorum in Pentateuchum, Josue, Judicum, Esdrae et Machabaeorum*, quos impressos habemus, quin penitus incognitorum, licet in eosdem Libros. Verum an hi tribuendi *Isidoro*? Audi praefantem. *In precedentibus premissa descriptione originis et discretionis artium et quorundam aliorum ortum cursum et occasum omnium regnorum ab initio usque ad nos disposuimus. In sequentibus autem profundas allego-riarum obscuritates secundum subiacentis historiae cursum prius de ueteri testamento, deinde de nouo, in quantum presenti breuitati sufficere uidetur, elucidabimus. &c.* Nisi me omnia fallunt, *Isidorum* de Libris suis *Originum*, et *Chronico* suo loquentem audis, ordinemque designantem, quo iis nunc tertium Opus accederet, *Allego-riarum* videlicet *utriusque Testamenti*. Effrenis Librariorum veterum in comminiscendis, corrumpendis, transferendis Operum Titulis licentia non parum omni tempore Literatores exercuit, idque tunc maxime, cum quaedam Materiae adfinitas diffi-

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

cultatem augetet. *Isidori Liber Prooemiorum, Commentaria in V. T. Allegoriae Nominum utriusque Testamenti*, quae omnia edita habemus, typica sunt, et mystica. Ejusdem naturae Opus est, quod habemus prae manibus. Facile igitur fieri potuit, ut inter congenera unum aliquod in Bibliothecas se subduceret, neque quaereretur amplius a credentibus, se jam omnia tenere. Solus *Tribemius* adtentos facere potuisset, qui, ut dixi, *Isidori* *Commentaria* allegorica in plures Libros biblicos enumerat, quam quidem typis prodita possidemus. At vero, quia quaedam typis prodita sunt, intercidisse reliqua censuere, neque video, cur illis in mentem venisset, *Isidorum* bina diuersa *Commentaria* elaborasse. Interim res ita se habere videtur; *Codex* enim noster prorsus ab *Editis* differt. *Praefatiunculae* initium dedi. *Sequuntur in Vetus Testamentum Libri IX.* quorum contenta verbis *Codicis* dabo: *I. tractat de mysteriis rerum gestarum ab initio usque ad abraham. II. ab abraham usque ad moysen. III. a moysen usque ad josue. IV. a josue usque ad helchanam patrem samuelis. V. ab helchana usque ad dauid ubi scriptum est. Scidit dominus bodie regnum tuum a te &c. VI. a dauid usque ad salomonem. VII. a salomone usque ad transmigracionem babylonis. VIII. de mysteriis rerum gestarum que continentur in esdra. IX. que continentur in libro iudith bester thobie et machabeorum.* Singuli *Libri* in *Capitula* discreti sunt. *Novum* vero *Testa-*

Nnn

men-

mentum, five Historia Evangelica, cujus Prologus incipit: *Primi parentes generis humani per culpam primam se cum sua sobole morti et dampnacioni fecerunt obnoxios* &c. non in *Libros*, sed in *Capita* seu *Rubricas* LXXI. abit, plurimumque exponendis Parabolis occupatur nullo Evangelistarum discrimine, neque Christi Passionem attingit. Textus totius Operis a secunda, quin tertia manu solenter emendatus et subpletus est, unde colligas, non deesse in Bibliothecis plura ejus Exemplaria. An unum aliquod in manus venerit doctissimo *Franc. Ant. Zaccariae* *vov év άγίοις*, nescio; non enim nactus sum *Conspectum novae S. Isidori Hispal. Operum Editionis*, quem jam a. 1758. Vir ille centimanus publicavit, video tamen ex ejus *Elogio Storico Romae* 1796. a *Cl. Ludov. Cuccagnio* 8. edito fervere negotium Editionis sub manibus *Faustini Arevali* eruditi *Isidori* Popularis, cui obtigisse Commentariorum nostrorum Codicem *ms.* sperare me jubent Bibliothecarum Italicarum opes.

IV. fol. 130. praemisso *Capitulum* CXXV. Elencho *Incipit liber Enchiridon beati Augustini ep. ad Laurencium*. Adde de *Fide, Spe et Caritate*. Initium: *Dici non potest beatissime fili Laurenti* &c. Ut edit. *Maur.* T. VI. col. 195. et nobis jam pluries. Textus probus. Singulare illud, c. 3. pro: *quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit*, legi: *quid credendum fide scilicet, quid sperandum spe, quid amandum sit ca-*

ritate, nec id absone, si totum locum expendas. *obnoxios in colligit* V. fol. 160. *Incipit prefacio beati augustini episcopi in librum de opere monachorum*. Haec Praefatio nihil aliud est, quam *Locus e L. II. Retrahat. c. 21.* ubi de hoc Opere *Augustinus* loquitur: *Ut de Opere Monachorum librum scriberem* &c. Noto hic non improbabiler legi: *laicos inferiores proposito pro inferioris propositi*, quod in suis Codicibus non invenere *Mauriani* T. VI. col. 473. Ita nec invenere, quod habet *Noster* c. 2. ipsius Libri; ubi enim illi simpliciter, *ad eorum correctionem quid dicendum*, hic absolute: *ad eorum correctionem et ad implendum nostri episcopatus officium contra differendum*. Differunt et alia plura; unde vel hodie revidere *Augustinum* non esset actum agere.

VI. fol. 175. p. 2. *Incipit Liber sancti Augustini de bono conjugali*. Ita: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars et sociale quiddam* &c. ut T. cit. col. 319. Textus sat probus, sed cave verba postrema: *Nec distuli atque id Dei munus et quam magnum et quanta humilitate custodiendum esset uno sicut potui volumine ostendi*, Libro accensere. Ad *Librum de sancta Virginitate* pertinent, et, nescio quomodo, e *Retrahat. L. II. c. 23.* huc irrepsere.

VII. fol. 186. *Incipit augustinus de orando deo ad probam*. Epistolam puta, quae in *Edit. cit.* T. II. col. 382. est ordine CXXX. et incipit: *Et petisse te, et promississe me recolens* &c. Haec porro *Augu-*

Augustini Opuscula non jam semel in Commentariis nostris retulimus.

VIII. fol. 193. *Albinus* magister *Heriberto* colonienſi Archiepiſcopo de aduentu anticriſti. Initium: Ergo de anticriſto ſcire uolentes primo notabitis nomen ejus &c. Dixi de hoc non *Albini* vel *Aluini*, nec *Alcuini*, ſed *Adſonis* Opusculo Vol. I. P. 2. col. 1347. Quantum varient Exemplaria, videre eſt in *Opp. Alcuini*, edit. *Ratiſb.* 1777. T. II. Vol. 2. p. 526.

IX. fol. 194. p. 2. Incipit expoſitio ſancti *Augustini* Epifcopi ſuper epistolam ſancti *Johannis* ewangelifte. Decem *Traſtatibus* definita, qui leguntur edit. ſuprac. T. III. P. 2. col. 825. Prologus init: *Meminit Sanctitas Veſtra ewangelium* &c. Ipſa Expoſitio uero: *Quod erat ab initio* &c. *Quis eſt qui manibus tractet uerbum* &c. Exemplar integrum quidem, ſed minus caſtigatum.

X. fol. 236. p. 2. Incipit *Traſtatus* eiſdem de *Regula Monachorum*. Ex abrupto: *Quod penus eſt, ſunt quidam remoti a mundo et ſecum portant illum* &c. Non reperi ne quidem inter S. Patri ſubpoſita, nec inter ſimilia *Monachica Hieronymo* perperam tributa. Sed Fragmentum eſſe, non minus extrema probant: *in uitam intrare eternam tenendo ueram humilitatem et patientiam*. Verum unde carptum?

XI. fol. 237. p. 2. *Sermo* *Augustini* epifcopi de igne purgatorio. Init: *In lectione apoſtolica que nobis paulo ante recitata eſt, fratres kariffimi, audiuiſumus apoſtohum*

dicentem: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere &c. *Caesario* rite tribuunt *Mauriani*, apud quos T. V. *Append. col. 185.* eſt *Sermo* CIV.

XII. fol. 239. p. 2. *Omelia* *Caesarii* Epifcopi. Hanc neque in *Bibliotheca PP. Lugd.* T. VIII. et XXVII. neque in *Appendice* T. V. *Operum S. Augustini* edit. *Maur.* reperi, nec ejus mentionem fieri uideo T. III. *Hiſt. liter. Franciae*, ubi a p. 197. omnia *Caesarii Arelat.* Scripta enumerantur, nec in *Elencho* T. I. *Commentar. de Scriptt. Eccl.* col. 1345. exhibito ab *Oudino*, qui ante *αποστολων* ſuam *Caesarii* novam Editionem meditabatur. Interim *Caesarianam* eſſe e toto ejus habitu uix dubium. Orditur hoc tenore: *Modo cum diuina lectio legeretur, fratres kariffimi, audiuiſumus dominum dicentem: Si, inquit, in preceptis meis ambulaueritis et feceritis ea, que ego precipio uobis. dabo uobis pluuias temporibus ſuis.* Ad I. ergo *Sermonum* Claſſem *Oudini* pertinet; locum enim *Vet. Testamenti* tractat, nempe *Leuitici* C. 26. v. 3. Sequitur: *Si fideliter et diligenter attendimus, fratres, omnia que iudeis corporaliter promittebantur. ſpiritualiter in nobis implentur.* Eadem prope phraſi utitur *Caesarius* in *Serm. de Dedicat. Templi*, qui in ſuprad. *Append. T. V. Opp. Augustini* col. 375. eſt numero CCXXIX. Denique omnes benedictiones dei, quas illi accipiebant in terra, nos per gratiam baptiſmi conſecuti ſumus in anima &c. Poſtquam igitur *Pluuiam* et *Panem* de

Verbo Dei exposuisset, procedit in allegorica ejusmodi expositione usque ad initium v. 9. *Respiciam vos*, finitque: *Sed ubi ad eum* (Petrum) respexit dominus, continuo subleuatur. An sola hic desideretur *δοξολογία*, an Homilia, quae tamen jam in Codice 8. Columnas implet, abrupta fit, mihi non liquet. *Caesarii* esse, ut iterum dicam, suadet etiam ratio citandi sacrum Textum, quae verbis se non adstringit.

CCCCV.

R. 76 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 104. 8. fat bene scriptus, titulis et initiorum literis partim iniatis, partim deargentatis, oblatus cum pluribus aliis Bibliothecae a *Thoma M. Alfano* O. P. anno 1721. complectitur *Libros III. Sententiarum* dictos etiam *de summo Bono* autore *Isidoro*, qui Sec. VII. Sedem *Hispalensem* illustravit. Capitulare omnium III. *Librorum* praecedit. Liber I. praescriptus: *Ysidorus de Summo bono*, incipit: *Summum Bonum Deus Est. quia incommutabilis est. et corrumpi omnino non potest.* &c. Textus collatus cum Edit. *Jac. du Breul Paris. 1601. p. 617. f.* nihil peculiare offert; est enim a secunda manu passim emendatus. Differt tamen quandoque divisio Capitum, et in fine L. III. Capita duo LXI. *De Brevitate Vitae*, et LXII. *De Exitu* desunt, quae nobis forent LXV. et LXVI.

Foliis 3. ultimis Sec. XIII. adscripta sunt quaedam PP. puta *Au-*

gustini et *Ambrosii*, item *Gratiani* loca de Eucharistia.

CCCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 96 XIV. Folior. 87. f. min. per duas columnas exaratus caractere nitido luculento, rubricis decorus, et a *Joh. Fabro* Praefule nostro a. 1540. suo ad *D. Nicolaum* Collegio donatus teste Nota praevia impressa sequentia ad *S. Isidorum Hispal.* Ep. Sec. VII. Scriptorem relata condit Opuscula. I. post *Elenchum Capitum XXXI. Incipit liber ysidori de summo bono.* Titulus iste a primis Opusculi verbis provenit: *Summum bonum est &c.* Ceterum inscribitur *Sententiae*, et in III. Libros divisum est, ut Edit. *Paris. 1601. p. 617. f.* Quod divisionem in Capita adinet, Caput Edit. XVI. *de Ecclesia et Haeresibus*, in Codice divisum est in duo, quorum XVII. inscribitur *De hereticis*, et ibi incipit: *Non posse hereticos habere veniam &c.* Caput sequens *de Gentilibus* in Codice melius inscribitur *de Philosophis.* Divisio Libri II. consentit cum Editis, sed Liber III. pro Capp. LXII. censet LXVI. differentia inde a Cap. L. oriunda. Integra ceterum sunt omnia, lectioque sic fatis proba.

II. fol. 52. *Ysidorus de inevitabili: sive de libero arbitrio.* Erravit Librarius. Quanquam enim quaedam *Isidori*, et praecipue L. II. *de Different. spirit.* Articulus 27. *Arbitrium est voluntas libere pote-*